



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**In Evangelia: Qvæ Vsitato More in diebus Dominicis &  
Festis proponuntur, Annotationes Philippi Melanth.**

**Melanchthon, Philipp**

**Vuitebergæ, 1544**

**VD16 E 4532**

Dominica Qvarta Post Trinitatis, Evangelivm, Lucae VI.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-35272**

## DOMINICA TERTIA

contionibus, & exemplis, quæ de his scandalis Ecclesiam admonent, & retinere Euangelium præcipiunt. Nam primum mandatum anteferendum est omnibus rebus, paci publicæ, uitæ nostræ, tranquillitati: Non habebis deos alienos.

## DOMINICA QUARTA POST TRINITATIS, EVANGELIUM, Lucæ VI.

**E**stote ergo misericordes, sicut & pater uester misericors est. Nolite iudicare, & non iudicabimini. Nolite condemnare, & non condemnabimini. Dimittite, & dimittetur uobis. Date, & dabitur uobis, Mensuram bonam, confertam, & coagitatam, & supereffluentem dabunt in sinum uestrum, Eadem quippe mensura, qua mensi fueritis, remetietur uobis.

Dicebat autem illis similitudinem: Nunquid potest cæcus cæcum ducere? Nonne ambo in foueam cadunt? Non est discipulus super magistrum  
*suum.*

POST TRINITATIS. 30.

suum, Perfectus autem omnis erit, si sit sicut magister eius. Quid autem uides festucam in oculo fratris tui, trabem autem in proprio oculo, non consideras? Aut quomodo potes dicere fratri tuo: frater, sine, eijciam festucam de oculo tuo, & ipse in oculo tuo trabem non uides? Hypocrita, eijce primum trabem de oculo tuo, & tunc perspicias, ut eijcias festucam de oculo fratris tui.

QUATVOR SVNT PRÆCIPVE  
Loci.

- I. *Doctrina de bonis operibus.*
- II. *Præcepta de quatuor officijs dilectionis, misericordia, non iudicando, remittendo, dando.*
- III. *Promissiones & comminationes.*
- IIII. *Vituperatio peruerse iudicantium, non seruantium regulam Prouerb. 10. Iustus in principio accusator est sui, postea explorat proximum.*

*clara* DE PRIMO.

**N**ota est uox Pauli: Fratres, debitores sumus ne secundum carnem uiuamus. Si secundum carnem uixeritis, moriemini. si spiritu, *Rom*  
carnem

## DOMINICA QVARTA

*Infigere aīo  
uel memorie*  
Carnem mortificabitis, uiuetis. Item 1. Iohannis 3.  
Nemo uos decipiat, qui facit peccatum, ex Dia-  
bolo est. Hæc dicta sunt <sup>in</sup> ~~in~~ <sup>fixa</sup> ~~in~~ <sup>animis</sup>, ut sciamus  
oportere in saluandis existere inchoatam obedien-  
tiam, nec sine ea posse homines saluari. sed oportet  
fidem in Christum præcedere, & prælucere. &  
sciendum est ita placere Deo inchoatam obedien-  
tiam, cum reconciliati fide agnoscunt se non satis-  
facere Legi, & tamen inchoant hanc obedien-  
tiam, & credunt eam placere, propter Pontificem  
Christum, postquam persona propter mediatorem  
Christum recepta est. Hæc aliàs sæpe dicta sunt,  
sed semper in contionibus de bonis operibus, hæc  
summa repetenda est.

### DE SECVNDO

**P**RÆsens contio tradit doctrinam de bonis  
operibus, & quidem de certis officijs dilectio-  
nis, pertinentibus ad quintum præceptum.  
Ac longa esset contio, si quis integre de his uirtu-  
tibus dicturus esset. Sunt autem alia dicta hoc lo-  
co, alijs clariora. præceptum de dando utcunque  
intelligi potest. Sed illa de non iudicando, & de  
peruersitate iudiciorum, sunt obscuriora, & con-  
tinent doctrinam necessariam, ad retinendam Ec-  
clesiæ pacem & concordiam. Dicam breuiter de  
singulis. Misericordia in genere est affici sensu alie-  
ne ca-

POST TRINITATIS. 31.

na calamitatis, præsertim iniuste, & opitulari in-  
iuste oppressis, pro uocatione. Item probabili ra-  
tione mitigare iustam calamitatem. & habet  
duos gradus. Misericordia est, quòd opitulatur  
Constantinus Ecclesie oppresse à Tyrannis.  
Alius gradus est, ἐπιεικεία in pœnis male meri-  
torum, ut David post uictoriam parcit ciuibus, quæ  
fuerant seditiosi, & tamen iam redibant ad offi-  
cium. De hac ἐπιεικεία contionatur cum inquit: uò 67  
Estote misericordes, sicut pater uester misericors  
est. Admonet nos quid meriti sumus. insania est  
autem meritum easdem pœnas insultare calami-  
toso. Porro omnes homines meriti sumus pœnas,  
ideo non insultemus alij alijs, sed potius commu-  
ni dolore leniamus. Item sumus grati Deo, qui  
erga nos fuit misericors, ac liberauit nos, & uult  
nos suo exemplo erga alios misericordes esse. De  
hac ἐπιεικεία in Iacobo dicitur: Misericordia sit  
supra iudicium, id est, rigorem, Sed hac habet  
suas metas, ut alibi dicitur.

Nolite iudicare. Homo imperitus doctrine  
Christiane offenditur hac uoce, quia uidetur po-  
litas tollere, sed Christus tamù de priuatis iudicijs  
loquitur. Primum igitur sciendum est, tria esse iu-  
dicia, quæ non pertinent ad hunc locum. Mini-  
sterium Euangelij, quòd iudicat & arguit pecca-  
ta, sicut Paulus inquit: Admone, increpa cum  
omni

## DOMINICA QVARTA

*no. 67*  
omni imperio. Item iudicia magistratum. Item uituperatio, quæ fit sanandi causa, aut aliorum admonendorum causa in flagitio manifesto. ut cum dico: Abstineas à consuetudine huius hominis, quia scio ebriosum esse. & recte dicit lex in ff. Eum qui nocentem infamat non esse puniendum, quia expedit crimina nota fieri, ut emendentur. Hæc iudicia non sunt prohibita.

Quæ igitur hic prohibet Christus?

*Postum. C. 1. §. 1.*  
Respondeo, priuata & calumniosa, scilicet, cum aut bonum factum, aut ambiguum, interpretamur in deteriorem partem, aut leue erratum maleuolentia exaggeramus, non studemus sanare. Non intelligit uulgus imperitum, quàm facile oriantur ingentes discordia, & perturbationes regnorum ex talibus initijs, cum homines maleuoli, suspicaces, cupidi uindictæ, inter se certant odijs & calumnijs. ut nunc usitatum est iudicare. hic Sacerdos ducit uxorem, ergo est homo leuis, non constanter retinens sui ordinis morem. Item, ut di alium familiarius loquentem cum meo inimico, ergo aliquid machinatur aduersus me. Hæc in uita latissimè patent, & præsertim in gubernatione cient magnos tumultus. Ideo Christus de re maxima concionatur hoc loco, cum cæteris, tum uero maxime gubernatoribus, ut discant hos impetus frenare.

Remittite.

Remittite. vicinum est hoc præceptum proximo. non solum vitare calumniosa iudicia debemus, sed etiam illis male suspicantibus ignoscere, dissimulare eorum iniurias, non pugnare cum malevolis amarulente, sed potius eos sanare, si sunt sanabiles, aut parcere eis Reipub. causa. Sicut autem supra dixi de non iudicando, non prohiberi ministeria diuinitus instituta, sed priuata & calumniosa iudicia, ita hic de remissione sciatur, non præcipi ministerijs, ne taxent, neve puniant delicta, quæ uerbo Dei & legibus puniuntur, sed præcipitur priuata remissio, quæ habet tres gradus.

Primus est, cum leuibus iniurijs laceffiti, fingimus nos habere iustas causas, & emulatione, uel ambitione, uel cupiditate uindictæ incendimur, ut premamus aduersarium. Hic præcipit Christus de remissione, Nam ex talibus initijs magni tumultus, magna dissidia sæpe in gubernatione oriuntur.

Secundus gradus est, cum ueris causis laceffiti sumus, non tamen atrocibus. in his etiam uicæ adhibenda est, ne omnes iniurias persequamur. ut cum David parcat ciuibus. semper enim potior est habenda ratio tuendæ publicæ tranquillitatis, quam priuati doloris. & huc pertinent hæc dicta, Remittite, & remittetur uobis, Vniuersa delicta operit caritas &c.

Tertius

Taxo metaph.  
H. Salter, liston  
sax. p. 111.

Laceffo, H.  
niz an, orfor  
burug in zorn  
m. h. u. d. z. in  
fuit. Quis aut  
feri semper in  
lam partem acci  
pitore.

## DOMINICA QVARTA

Tertius gradus est, quando sunt atroces iniuriae, ubi defensione magistratus opus est, aut alioqui pacis publicae causa coercendi sunt iniusti impetus, recte confugitur ad officium magistratus, sed tamen accedat in animo remissio coram Deo, quae non impedit poenas.

DATE. Hoc praecipuum facilius intelligi potest. complectitur autem duos gradus. dare debita, quae civili, uel naturali obligatione debentur. & dare eleemosynas, quae diuina obligatione debentur. Nam in utroque genere peccant homines. Magnae fraudes sunt <sup>emphaticum</sup> contractuum, cum tamen Deus uelit nos exercere obedientiam, in seruanda aequalitate in contractibus. Deinde & de eleemosynis diuina obligatio est, ut calamitosi, egentibus, & praecipue socijs eiusdem confessionis & fidei opitulemur. Hoc officium habet gradus & metas, ut Paulus inquit: Non ut alijs sit ignauum ocium, uobis afflictio.

Item: Fontes tui deriuentur foras, tu autem Dominus illorum manebis. *Deus ponit. Hic to. sub ministrandis. ubi*

### DE TERTIO.

COMminationes & promissiones additas intueamur, ut timorem & fidem excitemus. Estq; summa comminationum & promissionum in hoc dicto. qua mensura mensi fuerit.



POST TRINITATIS, 33.

ritis, eadem reddetur & uobis. & quidem textus ait, fore, ut cumulatè reddatur. ut Constantius & si fuit Ethnicus, tamen quia erat misericors, nec se uiuit in Christianos, non est excussus ex imperio. Diocletianus, & si fuit sapiens princeps, tamen tandem sibi ipsi mortem consciuit, metu Constantini. Et uniuersaliter meminimus poenam talionis ordinationem diuinam esse, quam Deus regulariter seruat, etiamsi humana iudicia eam negligunt, aut homines eam non considerant. ideo & uetustissimæ leges religiose sanxerunt poenam talionis, ut ex Moise apparet, & in uersu Radamanthi Si patitur quæ fecit, poena est iusta putanda. Nam primi patres hanc Dei ordinationem diligenter proposuerunt populo, ut commouerent homines de timore Dei. & hinc multa dicta sumpta sunt: Qui gladium acceperit, gladio peribit. Item: Væ, qui predaris, quia & tu spoliaberis.

Primum ergo comminationes nos hortentur ad timorem Dei. & sciamus de poenis presentibus & futuris dici. secundo promissiones etiam loquuntur de futuris præmijs, sicut clare dicit Paulus 1. Timoth. 6. Pietas habet promissiones presentis uitæ & futuræ, Et Christus inquit: Recipiet centuplum in hac uita, & post hanc uitam, uitam eternam.

Iam

## DOMINICA QVARTA

Iam hic discamus exercere fidem. Corporales promissiones tradite sunt, ut fides exerceatur simul in querenda reconciliatione coram Deo, & in expectatione auxilij corporalis. Quare semper addamus promissionibus corporalibus initio promissionem precipuam Euangelij, de remissione peccatorum. Dauid expectat uictoriam à Deo, sed prius sentit sibi Deum propitium esse, Ita uult nos Deus fidem exercere dupliciter. Primum crede tibi Deum propitium esse propter filium. Deinde obtempera, & expecta ab eo auxiliium. da pauperi, & expecta uicissim Deum tibi daturum esse uictum, pacem, & alia bona, 2. Corinth. 9. Dauidi multi in regno in sidiantur. iam si more Tyrannorum, omnes suspectos tollere uellet, non esset finis grassandi. Quid igitur agit? Primum credit se habere Deum propitium. Deinde diligenter facit officium suum. Tertio expectat à Deo defensionem magno & tranquillo animo, nec mouetur suspicionibus ut seuitiam exerceat. Hoc exemplum singuli ad suam uocationem accommodare possunt, quia nulla quamuis humilis uocatio est sine periculis. Et diligenter hæc exercitia fidei consideremus, plurimum enim in uita peccant summi ac infimi hac diffidentia, quòd non expectantes à Deo auxilium, querunt in concessa præsidia, alij aliter.

DE QVART

POST TRINITATIS. 34.

DE QVARTO.

**P**arabola de trabe in oculo, & festuca, est illustri pictura & reprehensio humanorum iudiciorum de Ecclesia. Naturaliter mundus calumniose iudicat de Ecclesia, aliàs sine ulla causa, aliàs calumniose exaggerans causas. ut nunc, si Sacerdos ducat uxorem, quam abhorrent hypocritæ, cum nullam prorsus causam habeant, imo rem iustam uituperent. Deinde si quando peccant homines pij infirmitate aliqua, ut sunt etiam multi lapsus piorum, & multa scandala, quanta est exultatio, ἐπιχαίροντες, qui sarcasmi apud impios? Sicut dicitur in Salomone: Fons conturbatus est iustus lapsus coram impio. Interim ipsi impii habent longe maiora peccata, idolatriam, blasphemias, homicidia, libidinum maculas, rapinas. Nam his uitijs omnibus manifeste pollutus est status pontificius, & contaminant se defensores societate horum scelerum.

Traditur ergo præceptum Prouerb. 10. de ordine iudicij, quòd singulos ad poenitentiam hortatur: iustus in principio accusator est sui, postea explorat proximum. Ceterum & communis est omnium hominum morbus φιλαυτία. nostris moribus fauemus, nobis ignoscimus, nostra uitia aut non uidemus, aut leuia ducimus, aliena diligentius contuemur, & censuram de eis acerbio-

## DOMINICA QVARTA

rem agimus. Hæc iniusta inæqualitas multis sententijs vituperata est, quæ semper in conspectu nobis esse debent, ut tanquam his frenis mentes & linguas regamus, ne de alijs temerè iudicent, sed ut nostra vitia agnoscamus, & emendemus. Sunt autem hæc sententiæ: Nosce teipsum, Tecum habita, & nôris, quàm sit tibi curta supellex. Thales interrogatus, quid sit difficile, respondit: Seipsum nosse. Rursus interrogatus quid sit facile, respondit: Reprehendere alios. Idem & in Apologo de duabus manticis significatum est: vitia aliorum gerimus in priore mantica nostra gerimus in altera, quæ in tergo pendet. Hæc sententiæ omnes referantur ad dictum Salomonis: Iustus initio accusator est sui, postea explorat alium. Item ad hanc parabolam de festuca, ut sciamus etiam diuinitus prohiberi hanc curiositatem, petulantiam, & peruersitatem iudiciorum. *multum intelligit, qui loquitur*

*Curiositas  
Pierich, Jan  
nig, forij*

Idco autem tam multa de hoc vitio dicuntur, quia non solum inæqualitas per sese est iniusta, sed etiam causa est sæpe publicarum discordiarum, maxime cum vitia gubernatorum traduntur. Nam & hic morbus communis est hominum, egreferre imperia. & hæc semper aliqua habent incommoda & vitia, ac boni gubernatores sæpe etiam peccant, ut dicitur ὁ πολλὰ ἔπραττον πολλὰ καὶ ἄμαρτασι. Hic

*Traduntur  
Bosphoras,  
Naxosindas*

POST TRINITATIS. 35.

Hic cogitandum est, cur imperia fiant difficili-  
 cilia. ac precipua causa est, quia populi mo-  
 res ruunt in deterius. Crescunt in populo luxus,  
 licentia, petulantia, ideo finit Deus imperia ex-  
 asperari. Creuit seruitus crescentibus peccatis  
 mundi, ut indicat statua uisa regi in somno apud  
 Danielelem. & Salomon inquit: Propter peccata  
 populi crebre sunt mutationes regum. Feramus  
 igitur imperiorum asperitatem, & agnoscamus  
 poenam esse nostrorum peccatorum, nec maledica  
 mus ipsis gubernatoribus, sed cogitemus hæc di-  
 cta: Non iudicate. Ipsi uiderint, qui sunt in officio  
 iudicandi, ab ipsis Deus rationes reposcet, non  
 arrogemus nobis alienum officium. Item sciamus  
 nostra equitate leniri multas publicas difficul-  
 tates. Ideo scriptum est: Remittite, & remittetur  
 uobis. Item Christus lauans discipulis pedes,  
 significat non exulcerandos esse aliorum nauos,  
 sed tegendos, aut suauiter abluendos. Et Petrus  
 inquit: Vniuersa delicta operit dilectio, signifi-  
 cans aliena delicta tegenda esse inter homines,  
 & arte sananda. Denique multa præcipiuntur,  
 præsertim à Christo & Apostolis de hac uirtute,  
 quæ uocatur ἐπιεικεία, quæ est nutrix publicæ  
 concordie, & in Ecclesia maxime necessaria.  
 Sed tamen hæc omnia intelligantur de toleran-  
 dis moribus sanabilibus hominum, non de appro-

e ij bandis

110

Nuonius in  
 Animal, in  
 masen

Ex libro de  
 de bono iud  
 de iudic. Mat  
 de uerbis  
 magister  
 de iudic.

## DOMINICA QVARTA

*bandis erroribus, de quibus teneatur regula. Si quis aliud Euangelium docuerit, anathema sit. Item: Qui confitetur me coram hominibus, confitebor eum coram patre meo &c.*

## DOMINICA QVINTA POST TRINITATIS, EVANGELIVM,

Lucæ V.

**F**Actum est autem, cum turba irrueret ad eum, ut audiret uerbum Dei, & ipse stabat secus stagnum Genesareth. Et uidit duas naues stantes secus stagnum, Piscatores autem descenderant ex illis, ac lauabant retia. Ascendens autem in unam nauim, quæ erat Simonis, rogauit eum, ut a terra rediret pusillum. Et sedens, docebat, de nauis turbas.

Vt cessauit autem loqui, dixit ad Simonem: Duc in altum, & laxate retia uestra in capturam, Et respondens Simon, dixit illi: Præceptor, per totam noctem laborantes, nihil coepimus, in uerbo autem